

# CLASSICS PART IA, LATIN LANGUAGE

## MICHAELMAS TERM, WEEK 4

### 1. Translate:

*Aeneas and his crew finally land in Hesperia. Aeneas dutifully seeks Apollo's temple, which was originally built by Daedalus.*

Daedalus, ut fama est, fugiens Minoia regna  
praepetibus pennis ausus se credere caelo  
insuetum per iter gelidas enauit ad Arctos,  
Chalcidicaque leuis tandem super astitit arce.  
redditus his primum terris tibi, Phoebe, sacrauit  
remigium alarum posuitque immania templa.  
in foribus letum Androgeo; tum pendere poenas  
Cecropidae iussi (miserum!) septena quotannis  
corpora natorum; stat ductis sortibus urna.  
contra elata mari respondet Cnosia tellus:  
hic crudelis amor tauri suppostaque furto  
Pasiphae mixtumque genus prolesque biformis  
Minotaurus inest, Veneris monimenta nefandae,  
hic labor ille domus et inextricabilis error;  
magnum reginae sed enim miseratus amorem  
Daedalus ipse dolos tecti ambagesque resoluit,  
caeca regens filo uestigia. tu quoque magnam  
partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberet.  
bis conatus erat casus effingere in auro,  
bis patriae cecidere manus.

(Virgil)

## **2. Prepare:**

*Cicero explains his motives for defending the aged senator Gaius Rabirius, on trial for the murder of a demagogue committed 36 years ago (Caesar and the democrats had deliberately engineered the accusation in order to weaken the Senate). Just as Rabirius' prosecutors acted out of political (not personal) enmity, Cicero argues that he is compelled to defend Rabirius chiefly for political reasons.*

etsi, Quirites, non est meae consuetudinis initio dicendi rationem reddere qua de causa quemque defendam, propterea quod cum omnibus civibus in eorum periculis semper satis iustum mihi causam necessitudinis esse duxi, tamen in hac defensione capitum, famae fortunarumque omnium C. Rabiri proponenda ratio videtur esse offici mei, propterea quod, quae iustissima mihi causa ad hunc defendantum esse visa est, eadem vobis ad absolvendum debet videri. nam me cum amicitiae vetustas, cum dignitas hominis, cum ratio humanitatis, cum meae vitae perpetua consuetudo ad C. Rabirium defendantum est adhortata, tum vero, ut id studiosissime facerem, salus rei publicae, consulare officium, consulatus denique ipse mihi una a vobis cum salute rei publicae commendatus coegit. non enim C. Rabirium culpa delicti, non invidia vitae, Quirites, non denique veteres iustae gravesque inimicitiae civium in discriminem capitum vocaverunt, sed ut illud sumnum auxilium maiestatis atque imperi quod nobis a maioribus est traditum de re publica tolleretur, ut nihil posthac auctoritas senatus, nihil consulare imperium, nihil consensio bonorum contra pestem ac perniciem civitatis valeret, idcirco in his rebus evertendis unius hominis senectus, infirmitas solitudoque temptata est.

(Cicero)